

# Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

## Sententia definitiva

Prot. N. 22221/90 CA

N.

**Restitutionis in integrum adversus Sententiam**

**huius Supremi Tribunalis**

(Rev.dus [X] – Administratio Patrimonii Sedis Apostolicae)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

IOANNE PAULO PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno XV, die 27 martii 1993, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis PP. Bernardino Gantin, Rogerio Etchegaray, D. Simon Lourdusamy, Eduardo Gagnon et Antonio Maria Javierre Ortas necnon Exc.mis ac Rev.mis D.nis PP. Vincentio Fagiolo, Ioseph Mercieca, *Ponente*, Philippo Giannini, Aemilio Eid et Iuliano Herranz, in causa N., Restitutionis in integrum, inter Rev.dum [X] et Administrationem Patrimonii Sedis Apostolicae, intervenientibus cl.mis Patronis Carolo Tricceri pro parte recurrente et Aloisio Valletta pro parte resistente, necnon Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae deputato, hanc definitivam tulit Sententiam.

1. – **Facti species.** – Adm. Rev.dus [X] exercuit a die 1 novembris 1956 per spatium fere viginti annorum munus Professoris Artis Musicae apud Pontificium Collegium [Y] Congregationis tunc [C]. Sed cum cognovisset hoc munus cessaturum esse, Rev.dus [X] valde desiderabat hanc Artem apud Pontificium Institutum [Z] docere. Contigit enim ut munus Professoris Artis Musicae apud hoc Pontificium Institutum vacaret. Quam ob rem, non praetermisit suam postulationem ad hoc munus consequendum commendationibus fulciri; die 1 februarii 1976 nominatus fuit Professor Extraordinarius

apud praefatum Pontificium Institutum.

Res cum ita se haberent, duae quaestiones mox ortae sunt; hic tamen venit consideranda quaestio de disputata incompatibilitate inter duo munera stabilia (“di ruolo<sup>2</sup>) quibus Rev.dus [X] attendebat, nempe Professoris Ordinarii munus apud “Conservatorio di W” quod ad Statum G pertinet, et Professoris Extraordinarii munus apud Pontificium Institutum Artis Musicae, apud Sedem Apostolicam.

Haec quaestio ac altera, quae positionem oeconomicam respiciebat diu agitatae fuerunt multis conaminibus ad compositionem animorum faciendam habitis; attamen, pro dolor, haec omnia infeliciter evaserunt, et die 27 iulii 1982 Rev.dus [X] opem Praesidis Commissionis pro Administratione Patrimonii Sedis Apostolicae imploravit.

Die 1 octobris 1986 Secretaria Status decisionem Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae adprobavit, quam etiam communicavit cum Congregatione [A]. Quae decisio Rev. do [X] non placuit; iamvero, contra eam provocavit ad Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, quod die 16 decembris 1989 sententiam dixit definitivam statuens: «Non constare de violatione legis in procedendo; Constare vero de violatione legis in decernendo relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae de quo in litteris Secretariae Status diei 1 octobris 1986, sed solummodo quoad iura, quae ex translatione derivant, non vero quoad ea, quae ex nominatione in Professorem Extraordinarium proveniunt» (emphasis addita est). Haec sententia publicata fuit die 2 martii 1990.

2. – Rev.dus [X] non acquievit in hac sententia quia solummodo partim erat ei favorabilis; quam ob rem duos recursus interposuit apud hoc Supremum Tribunal, quorum prior interpositus est die 21 septembris 1990 et impugnat sententiae executionem quam Administratio Patrimonii Sedis Apostolicae inceperat, alter diei 11 octobris 1990 qui impugnat ipsam sententiam et petit restitutionem in integrum relate tantum ad alteram partem decisionis, cuius motiva exponuntur in nn. 7-8 impugnatae sententiae. Nam Em.mi Iudices in fine n. 7 dixerunt: «Attentis proinde cann. 63, § 1, et 126, nominatio recurrentis ad munus professoris extraordinarii apud Pontificium Institutum [Z] nulla habenda est».

3. – Huic dubio proinde respondendum est: an sit locus restitutioni in integrum adversus illam partem sententiae definitivae huius Supremi Tribunalis diei 16 decembris 1989 (Prot. n. 18707/86 CA.), qua scilicet statutum est non constare de violatione legis in decernendo relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae, de quo in litteris Secretariae Status diei 1 octobris 1986, quoad iura «quae ex nominatione in Professore Extraordinarium proveniunt».

4. – **In iure et in facto.** – Spectato can. 1628, pars quae aliqua sententia se gravatam putat, ius habet appellandi a sententia ad superiorem iudicem. A decisione tamen quae pronuntiata sit a Tribunale Supremo Signaturae Apostolicae, non datur, considerato can. 1629, 1°, locus appellationi. Can. 1641, 4°, eam considerat rem iudicatam quae firmitate iuris gaudet: ideoque directe impugnari nequit. Attamen, hoc non significat remedia extraordinaria dari non posse ubi revera constet de manifesta iniustitia habita. Can. 1645, § 1, enim habet: «Adversus sententiam quae transierit in rem iudicatam, dummodo de eius iniustitia manifesto constet, detur restitutio in integrum». Praeclara opportunitas huius remedii extraordinarii est obvia.

Notandum nihilominus venit hic agi non de quacumque iniustitia ab actore proposita; secus, contentiones diu incertae possint manere et significatio rei iudicatae eiusque ratio et pondus vana fierent. Hanc ob rem can. 1645, § 1, statuit taxative casus in quibus manifesta habetur sententiae iniustitia.

Ubi detur, secundum can. 1645, § 2, facultas remedii restitutionis in integrum ob allatam iniustitiam manifestam, iudices debent prius in iudicio videre de iniustitia manifesta et postea, concessa restitutione in integrum, pronuntiare de merito causae (cf. can. 1648).

5. – In impugnata sententia (n. 7) legitur inter alia: «Auctoritas competens vero scire debuisset integram condicionem candidati cathedrae momento nominationis. Candidatus, e contra, modo aequivoco suam condicionem exposuit. Etenim, recurrens in curriculo vitae a se subscripto et die 27 octobris 1975 Congregationi [A] exhibito, dum apud “Conservatorio di Musica P del M” et apud

Pontificium Institutum [C] se docere declaravit, e contra se tantum docuisse apud Associazione [G] di W edixit. Habetur ideo vitium subreptionis (cf. can. 63, § 1) in precibus Rev.di [X] ad obtinendum munus Professoris Extraordinarii apud Pontificium Institutum [Z]. Auctoritas competens per hanc subreptionem in errorem inducta erat et quidem in errorem qui recidit in condicionem sine qua non».

6. – Ratio huius argumentationis nititur interpretationi quam sententia H.S.T. habuit de curriculo quod Rev.dus [X] subscripsit et mense iunio 1975 exhibuit Congregationi [A] ad munus Professoris Extraordinarii consequendum penes Pontificium Institutum [Z]. (Rev. dus [X] die 27 octobris 1975 tantum quandam informalem instantiam praebuit, eodem curriculo vitae adnexo). In hoc curriculo [X] scripsit se docere apud “Conservatorio [Z] P del M” et apud Pontificium Institutum [C], dum se docuisse apud “Associazione [G] di W”.

Quo curriculo perspecto, haec Sententia in primis censuit subreptionem adesse cum Rev.dus [X] declaraverit se docuisse apud “Associazione [G] di W”, dum adhuc munere Professoris fungeretur apud eandem Associationem.

7. – Hic tamen animadvertere oportet faciendam esse distinctionem inter “Associazione [G] di W” et “Conservatorio di W”. Hac distinctione prae oculis habita, adserta subreptio evanescit simul ac quis inspicit documentum nuper tantum repertum (“Associazione [G] di W”, die 10 septembris 1990), ubi dicitur: «Rev. do [X] ha tenuto per detta scuola (cioè Associazione [G] di W) un corso di interpretazione e pratica corale nell’Anno Scolastico 1961-1962» nec ullum aliud officium apud ipsam habuisse temporibus insequentibus. Vere Rev.dus [X] scripsit in curriculo se docere apud “Conservatorio di Musica P del M” et Pontificium Institutum [Y].

8. – Haec omnia luculenter probant quod Rev.dus [X], tempore quo curriculum suum scripsit ac exhibuit Congregationi [A] ad assequendum munus Professoris Extraordinarii apud Pontificium Institutum [Z] tantum penes Institutum Artis Musicae [M] docebat, minime N. Hanc ob rem, cum Rev.dus [X] verum declaraverit in suo curriculo, non datur reticentia veri seu subreptio. Ex documento

“Conservatorio di Musica P del M”, diei 23 martii 1992 habetur: «[X] è stato titolare presso questo Conservatorio di Musica della cattedra musica generale dal 1° ottobre 1974 - 30 settembre 1975».

9. – Quis posset obiicere, uti notat Cl.mus Promotor Iustitiae Deputatus, curriculum Rev.di [X] tempore nominationis, id est 1 februarii 1976, uti subrepticium haberi cum mense februario ipse iam ab aliquibus mensibus N. doceret.

Hoc tamen inepte obiceretur, quia, Rev.dus [X] curriculum vitae debuerat mittere – ut de facto fecit – ad consilium Academicum illius Pontificii Instituti [Z] ante mensem octobrem 1975, cum illo tempore terna iam efformata ac praesentata fuit. D.nus [X], ut probat attestatio diei 23 martii 1992, tunc N. nondum docuit.

10. – Quis posset ulterius obicere Rev.dum [X] verum reticuisse cum omiserit declarare se docere modo stabili, utpote “di ruolo” apud “Conservatorio P del M”. Haec obiectio tamen vi destituitur, nam Rev.dus [X] in suo curriculo relate et ad munus docendi apud Congregationem [C] et apud “Conservatorio P del M” adhibuit eandem vocem “insegna” sine assignatione “in ruolo” ad unum eundemque sensum significandum nempe “di ruolo”; sane, eandem vocem “insegna” adhibuit de munere suo apud Congregationem [C] ubi sine dubio assignatione “di ruolo” gaudebat.

11. – Rev.dus [X] interposuit recursum adversus Sententiam H.S.T. suffultus can. 1645, § 2, 2° ubi habetur: «De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi [...] postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia indubitanter probent». Agitur de documento “Associazione [G] di W”, diei 10 septembris 1990 supra citato; et de documento diei 23 martii 1992 “Conservatorio di Musica P del M”.

Verum est, ut notat Cl.mus Patronus Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae, Rev.dum [X] iam die 12 maii 1977 aliud documentum, latum a “Provveditorato agli Studi di N.”, prae manibus suis habuisse; attamen, recurrens nequivit cognoscere eius valorem ac pondus relate ad adsertam nullitatem nominationis suae ante notitiam publicationis Sententiae, scilicet ante diem 2 martii 1990.

12. – Sententia perguit declarans: «Habetur ideo vitium subreptionis (can. 63, § 1) in precibus Rev.di [X] [...] Auctoritas competens per hanc subreptionem in errorem inducta erat et quidem in errorem qui recidit in condicionem sine qua non».

Ad hanc assertionem id animadvertendum venit: error incidit in condicionem sine qua non quando error est circa accidentalia alicuius actus iuridici, quae tamen per positivum actum voluntatis uti substantialia intenta sunt. In casu, tamen, hic actus positivus auctoritatis competentis coram candida curriculi declaratione non probatur: non probatur auctoritas positivo actu voluntatis substantialiter intendisse, in casu, absentiam alius muneris docendi “di ruolo”. Nulla enim facta est investigatio ex parte Congregationis ad rem in casu. Insuper Congregatio dein tempore commotionis animi viam optionis offerebat inter munus docendi apud N Odeum W et munus apud Pontificium Institutum [Z], quae via optionis certe componi nequit si de invaliditate nominationis apud Pontificium Institutum ageretur.

13. – Sententia vere animadvertit Congregationem [A] expresse declaravisse incompatibilitatem duorum ordinariatuum, etiamsi alter in Universitate ecclesiastica, alter in civili habetur. Eadem vero sententia etiam dixit hanc normam, die 25 martii 1976 promulgatam, vigere coepisse a die 30 octobris 1976. Lex non respicit retro nisi nominatim de praeteritis caveatur. Ergo cum Rev.dus [X] nominatus fuerit die 1 februarii 1976, illa nova norma eum non tangit, uti recte statuit impugnata sententia.

14. – Adde: «Ut rescriptum non sit ratione subreptionis vi destitutum, in petitione proponi debent ea omnia et sola quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda»: G. MICHIELS, *Normae generales iuris canonici*, II, 2<sup>a</sup>, 1949, 360; cf. can. 42, § 1, C.I.C. 1917 qui regit nostrum casum).

Quid fuerit ad validitatem quaesitum ante normam die 25 martii 1976 promulgatam, non est facilis determinationis, quia – ut refert ipsa Sententia impugnata – alii aliter explicabant “Regolamento Generale della Curia Romana” (anni 1968) relate ad art. 40, 6°. Omnia demonstrant nil de stylo Curiae Romanae tunc temporis dici posse hac in re, neque can. 11 inspecto, neque attenta praxi

consuetudinaria: Auctoritas ecclesiastica vere, ex una parte, mentem contrariam ostendit, sed, ex altera, non defuerunt exceptiones, quamquam auctoritas ecclesiastica eis non favebat, ut ait ipsa sententia impugnata. Quam ob rem, in casu asseri nequit Rev.dum [X], in sua instantia ad munus Professoris Extraordinarium apud Pontificium Institutum [Z] consequendum, non proposuisse “ea omnia et sola” quae de stylo Curiae tunc erant ad validitatem exprimenda.

15. – Data peculiaritate tum casus tum petitionis restitutionis in integrum adversus sententiam iudicis administrativi, nullum aliud iudicium in casu necessarium est, cum per concessionem restitutionis in integrum adversus impugnatam partem sententiae, et consequenter per eiusdem rescissionem, de merito causae iam satis provisum sit.

16. – **Conclusio.** – Quare, omnibus et singulis tum in iure tum in facto rite perpensis et cribratis, proposito dubio censuerunt Patres respondendum esse, uti respondent:

**Affirmative, seu restitutionem in integrum concedendam esse adversus illam partem sententiae definitivae huius Supremi Tribunalis diei 16 decembris 1989 (Prot. n. 18707/86 C.A.), qua statutum est non constare de violatione legis in decernendo relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae, de quo in litteris Secretariae Status diei 1 octobris 1986, quoad iura «quae ex nominatione in Professore Extraordinarium proveniunt», et proinde illam sententiam definitivam ita corrigendam esse: Non constare de violatione legis in procedendo; constare vero de violatione legis in decernendo relate ad actum Administrationis Patrimonii Sedis Apostolicae, de quo in litteris Secretariae Status diei 1 octobris 1986.**

Pro expensis retinetur summa deposita.

Unaquaeque pars proprio Patrono congruum solvat honorarium.

Ita pronuntiamus et statuimus, mandantes iis ad quos spectat, ut executioni tradant hanc Nostram definitivam sententiam.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, diei 27 martii 1993.

Bernardinus Card. GANTIN  
Rogerius Card. ETCHEGARAY  
D. Simon Card. LOURDUSAMY  
Eduardus Card. GAGNON  
Antonius Maria Card. JAVIERRE ORTAS  
Vincentius Card. FAGIOLO  
+ Ioseph MERCIECA, *Ponens*  
+ Philippus GIANNINI  
+ Aemilius EID  
+ Iulianus HERRANZ

Notificetur.

Romae, 21 iunii 1993.

+ Zenon GROCHOLEWSKI, *Secretarius*  
Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Moderator Cancellaria*